



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae  
Christianae. III. Manuctio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De  
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.  
Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

Cap. XXI. De Virtutibus Theologicis. Fides operibus comprobanda. In solo  
Deo ponenda fiducia. Motiva amoris erga Deum. Amor proximi beneficiis  
ostenditur. Hortatio ad eleemosynam

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

bona opera in te ipso serves & abscondas : Rectè enim facti fecisse præmium est. Si studio denique virtutis sine intermissione incumbas : nam vera virtus nunquam torpet, sed semper in actu est.

CAP. XXI. *De virtutibus Theologicis. Fides operibus comprobanda. In solo Deo ponenda fiducia. Motiva Amoris erga Deum. Amor proximi beneficiis ostenditur. Hortatio ad eleemosynam.*

1. **B**Asis cæterarum virtutum & totius Christianæ vitæ fundamentum est fides, sine qua nemo potest placere Deo. Hæc est sapientia, quæ domuit orbem, cui firmiter adhærendum, omni disquisitione & curiositate rejectâ. Crede autem & operare, quia fides sine operibus mortua est. Sermo tuus & professio tua jactitant fidem : cave ne vita & mores prædicent infidelitatem. Credis Evangelium, cur non obedis Evangelio? Credis vitam æternam, cur brevissimum tempus interminabili præfers æternitati? Quid prodest credere vera & bona, si tu falsus es & mala operaris? Vix fieri potest, ut benè credat, qui malè vivit: ille enim verè credit, qui exercet operando quod credit.

2. Cùm certissimum sit Dei providentia omnia disponi & gubernari, aded ut nec passer de cælo, nec folium ex arbore cadat absque ejus nutu & voluntate; ipsi te totum trade excelsæ animo & ingenti fiducia, nihil dubitans quin opportunum ad res omnes auxilium sis habiturus. Scito omnia humana consilia atque præsidia fallacia & incerta esse, teque regi & agi absque ulla anxietate à Deo finas. Et si res accidant inopinatæ, quibus actionum tuarum & consiliorum tota series turbari & præcidi videatur, vel morbis, vel falsis criminationibus, aliisque casibus gravioribus, ne despondeas animum, sed spe divinâ munitus ejus te regimini subjice : nam per hos casus, per hæc discrimina ad illum finem te divina sapientia perducit, quem tibi ab æterno destinavit. Non sentit malum præ-



sens qui futura sperat bona. Tantum potest homo, tantum habet; quantum sperat & credit.

3. Charitas omnium virtutum forma & regina & Deum respicit & proximum. Et Deus quidem ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus super omnia amabilia diligendus est, purè propter se & suam infinitam bonitatem. Quod es, quod vivis, quod moveris, quod sentis, quod intelligis, Dei gratia est. Ipse te à servitute diaboli redimit: ipse animam tuam innumeris prærogativis nobilitavit: ipse tibi vitam æternam nullis præcedentibus meritis præparavit. Cælum, terra, aër, aqua & omnia quæ in eis sunt, magnis vocibus quotidie clamant, ut summo eum amore prosequaris, à quo propter te creata sunt. Cur per multa vagaris quærendo bona animæ tuæ? Ama unum bonum, quod est omne bonum. Quære simplex bonum, quod est summum bonum, quo nihil majus, nihil amabilius potest excogitari. Solus amor est, quo tuam Creatori vicem, quamvis non ex æquo rependere potes. Amor autem non est otiosus, non quærit quæ sua sunt, operatur magna, si est. Nulla amanti impervia difficultas. Verus amator mori potest, vinci non potest.

4. Natura omnis amorem indicit mortuum & sociabiles fecit: omnes enim homines magni corporis membra sumus, ad eandem fidem & gloriam vocati. Non amat Deum qui non diligit fratrem suum. Actus verò dilectionis erga Proximum, sunt beneficia omnibus conferre, omnibus prodesse, omnes obsequio & amore prævenire. Beneficia autem læto animo & prompto indigentibus conferes, nullâ intercedente morâ, nisi in accipientis verrecundia. Sufficiat ad remedium tristius quidpiam passis, quodeorum indigentiam scias. Molestum verbum & onerosum est, Rogo: si amici desiderium occupas & antecedis, antequàm rogeris, multiplicas munus tuum. Non tulit gratis; qui cum rogasset, accepit. Si prævenire non potuisti, plura rogantis verba intercide, ne rogatus videaris: teque daturum ipsa festinatione approba,

Z iiij



etiam si non fuisses interpellatus. Tum bona verba bonis rebus adice, nec quidquam triste misceas beneficio, non mœstitiâ, non tarditatem, non exprobrationem, non denique jactantiam. Res ipsa te silente loquetur & qui videt in abscondito, reddet tibi.

5. Inter actus Christianæ beneficentiæ præcipuum tenet locum eleemosyna, quâ fides probatur, redimuntur peccata, emitur cœlum. Cave ergo ne despicias pauperem, qui cum sibi egenus sit, te facere divitem potest. Peccatis tuis venundatus es, redime te pecuniâ tuâ: fac de instrumento avaritiæ subsidium misericordiæ. Histrio te ad risum provocans plenus à te recedit: Christus offerens regnum cœlorum nihil accipiet? Tributa Principi vel invitus solvis, etsi ex agris nihil perceperis; Christo Regi ex eo, quod superabundat, frustum panis denegabis? Cave ne parcens pecuniis tuis, reus sis sanguinis fratris tui. Si non pavisti, occidisti. Cogitas quàm bene alii post te vivant, non cogitas quàm male tu moriaris. Satiùs est deesse aliquid hæredibus tuis de patrimonio, quàm tibi de salute. Inspice rationes tuas. Vide quid in æterna patria, quid hîc possideas. Ex omnibus rebus tuis, id solum in morte reperiens, quod per manus pauperum in cœlum præmisisti. Argue infidelitatem tuam. Invadere domum hostis potest, cœlum non potest.

CAP. XXII. *De Prudentia. Ejus necessitas, & difficultas. Officium viri prudentis.*

1. **U**T Architectis nullum opus rectè procedit sine linea, & libella, ita nec nobis sine prudentia. Hæc norma cæterarum virtutum est, recta ratio agendorum, oculus animæ, & ars vivendi. Non potest esse jucunda vita, à qua absit prudentia. Hanc artem difficillimam esse omnes fatentur. Sed & obscura est. Oritur ex eo difficultas, quòd intra considerationis suæ ambitum res omnes tam universas quam singulares complectatur. Ac deinde quod nullus sit certus status rerum humanarum,